

68. ¶ Præter sulphur & argentum vivum, non sunt alia Philosophorum metalla.
69. ¶ Ars imitatur naturam in multis rebo.
70. ¶ Sulphur rubrum, ut vinum, quando calcinatione nigrescit, nigrum nigro nigrius dicitur.
71. ¶ A colore nigro ad albedinem, multi & varii colores apparent in sulphure.
72. ¶ Elixir primo fit nigrum, secundo dealbatur, postea colorem citrinum assumit, ultimo vero rubrum.
73. ¶ Elixir coagulatur in forma ovi.
74. ¶ Nigredo durat quadraginta dies.
75. ¶ Veteres, sub velo fabularum poeticarum, occultaverunt hanc artem.
76. ¶ Sub fabula Herculis & Anthei, occultaverunt præparationem sulphuris.
77. ¶ Dixerunt veteres, Jovem sese convertisse in pluviam auream, hac fabula occultantes distillationem auri philosophici.
78. ¶ Per Argi oculos, in Pavonis caudam conversos, significarunt nostrum sulphur, quod de colore in colorem mutatur.
79. ¶ Sub Orphei fabula, occultaverunt dulcedinem quintæ essentiæ, & auri potabilis.